

Beiheft

2

S 116

1279 (1278) Februar 3 Horstmar.

[52]
116

Bischof Everhard von Münster überweist dem Kloster Varlar das Erbe Westendorp.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, amen. Nos Dei gratia Everhardus Monasteriensis ecclesiae episcopus omnibus praesens scriptum inspecturis praesentibus protestamur, quod constituti coram nobis Joannes de Holtusen et Ida uxor sua cum Wernerio et Hermanno filiis suis et Gertrude filia sua domum in Westendorpe, sitam in villa Lare, professi [sunt] se vendidisse praeposito et conventui in Varlare pro certo et rationabili pretio legalis monetae, videlicet quadraginta marcarum, quam venditionem omnes insimul ratam habentes et profitentes, quidquid iuris in dicta domo habebant, videbilet in hominibus, agris, pratibus, pascuis, silvis sive quibuscumque pertinentiis dictae domus per manus nostras in manus praepositi et aliorum fratrum suorum, qui ibidem aderant nomine ecclesiae sueae Varlarensis, ore et manu resignantes renunciaverunt libere et solute. Protestamur etiam praesentibus, quod literam Hermanni de Monasterio vidimus sigillo suo sigillatam, in qua protestatus est, se et fratrem suum Ludolphum proprietati dictae domus, quam idem Joannes a dicto Hermanno in feodo tenuerat, libere et solute renunciasse. Nos igitur auctoritate nostra tam dioecesana quam ducatus nostri potestate, dictante sententia fidelium nostrorum, dictum praepositum et conventum Varlarensem in possessionem dictorum bonorum misimus jure perpetuo quiete possidendam. Praesentibus Alberto cognato nostro, maioris ecclesiae Monasteriensis canonico, Luberto capellano nostro et Wilhelmo scriptore nostro, clericis; Hermanno de Langen, Wesselo de Lembeeke, Hermanno de Bermetvelde, Remberto de Stokem, Hermanno de Grimberge et Henrico de Bertelwick militibus et Theoderico officiali nostro in Horstmare aliisque perpluribus viris discretis et fide dignis. Ut autem haec rata permaneant et firma, praesens scriptum in munimine tradidimus eisdem sigillo nostro roboratum. Acta sunt haec Horstmare in crastino purificationis beatae Virginis, anno Domini M^oC^oLXX octavo.

Kopie im Varlarer Kopiar S. 83/84.